



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Quæ à Deo sunt, suaviora sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

sum folijs vina dulcissima exprimuntur. Dummodo nos Deum timeamus, *Non est inopia timentibus eum.* Potest è maxilla, imo è dente fontem prolificere, vnde Samsones bibant ad satietatem; imo & ad voluptatem. Nam & illa aqua, quæ, ad virgæ ictum, imo nutum, de petra, saxoque durissimo, profilijt, olei, & mellis dulcedinem præbuit gustantibus. Ita olim populum suum *constituit super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra oleumq; de saxo durissimo.* Nempe, qui in Nuptijs, ex aqua vinum optimum fecit, facere etiam potest, vt ipsa aqua mellis gustum adipifeatur. Cum filijs Belial, cum noctes diésque per græcantibus Apicijs, cum sagis & magis nocturnâ vecturâ in cellas alienas, & ad dolia non sua peregrinantibus, etiam vinum Creticum in absynthium vertatur, & sit *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: vna eorum, vna fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Amara enim conscientia, etiam ex Massico, aut Maronæo vino absynthiacum producit; vt etiam hîc cõgruat, quod de graphio Symposius Poëta dicit:

Alter a pars reuocat, quidquid pars altera fecit.

C A P V T X V I I I.

Aliunde desertis Dei seruis, etiam delicias apponi.



Non Christo tantum, in deserto, Angeli ministrant, sed etiam ipse Christus Angelis, hoc est, hominibus in deserto. more Angelorum, viuentibus. Paut enim quinq; panibus quinq; virorum millia; imò plura postea millia Eremitarum. Neq; tamen putandû est, eos, quos etiam miraculosè sustentat diuina prouidentia, aut solo pane hordeaceo, aut sine dulcissima iucunditate semper sustentari. Sicut Christus, præter panes, etiam pisces apposuit suis conuiuis, in deserto; ita subinde etiam alijs sanctis delicias fugientibus delicias facit. Docet enim Ferrariensis, ea, quæ à Deo fiunt, immediatè, perfectiora esse his, quæ fiunt à Deo, mediante natura. Sicut ergo olim manna omnem suauitatem saporis continebat,

Pf. 24. 14.

Iudic. 13. 19.

Deut. 32. 13.

Ioan. 2.

Deut. 32. 32.

Sympos. in
Ænigm.

I.

Ioan. 6. 11.

nebat, quod nulli naturali cibo contigit; ita vinum in Nuptijs à Christo ex aqua factum, fuit præstantius quouis vino naturali. Pari pacto tradit Ferrariensis, panem in deserto, piscésque Christi potestate multiplicatos, longe fuisse gustus deliciarioris, nobiliorisque, & habuisse vim cibi pariter & potus. Quod postea saepius contigisse, vt dulcedinem Dei gustarent homines, exemplis docebo delicatos; vt ne istam quidem habeant aduersus Deum excusationem, & quia gustum sequuntur, vel dulcedine trahantur. Hoc enim hamo vsus est etiam ille, qui dixit: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Quod ideo dicit, ait Emiffenus quia amor Dei, quantolibet ardore questus, etiam magis ac magis firmiter inflammât. Vnde & de seipso dicit: Qui edunt me, adhuc esuriunt, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Gustent ergo, vt videant suauitatem; edant, vt esuriant; bibant, vt sitiant fontem salientem in vitam æternam; quicumque suauitatem sequuntur.

Pfal. 33. 9.
Serm. de
Epiphan.

II.
Palladius
cap. 77. hist.
Laufiacæ.

Apud Palladium Helenopolitanum Episcopum, Posidonius Thebanus hæc ipse de se narrat: *Cum habitarem in loco Porphyrite, anno vno, toto anno, nullum hominem conueni, non audiui sermocinationem, non panem tetigi, nisi si quando paucis vterer dactylis, & sicubi herbas inuenirem agrestes. Quo quidem tempore, cum mei panes, aliquando defecissent, egressus sum e spelunca, vt venirem in orbem terræ habitabilem, & cum toto die ambulassem, vix aberam à spelunca duo millia. Cum ergo circumspexissem, video equitem militis habitum præferentem, habentem in capite galeam triariferam: & cum coniectassem, eum esse militem, profectus sum vsq; ad speluncam, & inueni canistrum vuarum, & ficuum nuper decerptarum: quod cum accepissem, lotus rediui ad speluncam, habens duobus mensibus, cibos illos ad meam refectioem. En vt etiam obsonijs suos recreat cœlestis Pater! Ficus in Paradiso, ad delicias creauerat (quod vel è folijs ficus intelligimus, quæ primi parentes consuerunt, vt facerent sibi perizomata) nunc è Paradiso per Angelum ficus mittit in cretum. Post diluuium, Noe cepit exercere terram, & plantauit vineam, vt vinum biberet cum iucunditate; en sine vinea vvas Angelus, non iam Christo, sed Posidonio, in deserto ministrat. Quid debuit ultra facere, etiam illecebris Deus homines allicere ad sibi seruiendum. Cur non sequerentur? vel ad pictas vvas etiam aues aduolarunt; ad veras vvas homines, satis alioquin appetentes vini, se non sinunt inuitari.*

Abbas